UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 13. Quamuis omnem spirauerit crudelitatem, quidquid inimici Christi corpori intulerunt, quo sæuius illum torquerent, singularis attamen fuit ictus lanceæ ille næm que Virginis pectus transfodit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

moleſtiùs cor eius hæc mutatio perturbaret. Doctrina eſt hæc D. Anſelmi,& etiam D. Auguſtini qui prius illud dixerat, quod Ioannem pro ſe commutando, amariorem B. Virgini triſtitiam ingeſſerit: ſumpſit enim iacturæ dolor incrementum, dum illi diſcipulus pro magiſtro ſubſtituitur, & pro creatore creatura, & pro Domino ſeruus. Euæ Abel ſubrogatur æquiualens, vnde & ſolamen accipit. B. autem Virgini nequaquam: vnde dolor accreſcit illi, & tormentum. Conatur Laban generum ſuum Iacob grauiùs irritare, vt illum ex moleſtia ſibi tutius ſubnectet. Et quando elapsò poſtmodum, ſeptennio ſocero fidelis ſeruierat, iamque maioratum animæ ſuæ ſperaret nempe Rachel in ſponſam ſibi tradendam, tantum perfidus molitur Laban vt pro Rachele Liam ſubſtituat. Quis verbis explicet mœrorem quo Iacob opprimendus erat, permutationem cernens adeo diſparem in ſponſa ſua quam ex toto corde deſiderabat? Hoc idem igitur meâ ſententiâ Chriſtus egit,vt tantò foret dolor eius abſque omni ſolatio truculentior: etenim nullum habuit Virgo SS. feſtiuius ſublimiuſque gaudium, quàm dum Chriſto Domino, Dei filio, ſuoque gloriatur, & matrem ſe eſſe Deiparam. Vt eo igitur tempore quo Filius grauioribus demergitur pœnarum fluctibus, nec vllam inuenit apertam ſolatij ianuam: nec illa ſimiliter inueniret; appoſitè titulum ſubijcit matris, mulierem tantummodo eam appellans: atque vt acerbiùs cor matris vulneraret, ad confirmationem eius quòd hæc cauſa fuerit,cur matris nomen omiſerit, hanc facit commutationem, aſſignans illi Ioannem in filium: *Ecce filius tuus:* vt omnino verificetur tormentum eſſe ſecluſo omni leuamine martyrij Sanctiſſimæ Virginis, non minus quam Chriſti: & ſicut omnia flumina de mari ſcaturiunt, atque in illud denuo reuoluuntur, omniaque illud recipit ſic vt ex illis nihil ei ſuperfluat: ita omnia tormenta, dolores, anguſtiæ fluunt in Chriſtum, omniaque patitur, ſic vt nihil illi per hoc ſupereffluat: etenim *Cum malediceretur, non maledicebat:* Sed hoc ea conditione vt *Iterum fluant* in cor puriſsimæ Virginis, & hoc mare poſsit appellari tormentorum, ſicut & corpus Chriſti: *Facta eſt velut mare contritio tua:* Euaſit cor mœſtiſsimæ matris vt mare cruciatuum: quia: *Repleuit me amaritudine:* animamque conſ[illegible] præfocauit anguſtiis; ita vt omnibus [illegible] iis doloribus quibus redundauit plenum Chriſti corpus: & ipſa quoque plena redundaret.

V. Inde Virginis dolor accreuit.

1. Pet. 2. 21.

Thren. 3. 13.

§. 13. *Quamuis omnem ſpirauerit crudelitatem, quidquid inimici Chriſti corpori intulerunt, quò ſæuius illum torquerent: ſingularis attamen fuit ictus lanceæ, ille namque Virginis pectus tranſfodit.*

QVando iam Chriſti corpus clavis confixum in ſublime extulerunt, atque crucem toto impetu in effoſſum puteum decidere permiſerunt, vt in eo fixa conſiſteret, omnes illi dolores plagaſque renouarunt. Tunc ſol obſcuratus eſt, ne tale quid ſpectaret: etenim vt impoſſibile habetur poſſe viuere creaturam in cuius conſpectu tanta patitur eius creator: *Erit vita tua pendens ante te.* Vita, à qua totum dependet eſſe, & omnium conſeruatio creaturarum, in ligno pendebit, & coram te primò ô Virgo puriſſima, quomodo igitur fieri poteſt vt vitam creatura illa retineat? Ea igitur de cauſa ſol obſcuratur, & velum ſibi oppandit tenebrarum, ne in creatorem tantam videat immanitatem. Quale ergo futurum eſt Virginis triſtiſsimæ tormentum illum pati conſpicientis? Quantus cor eius dolor oppreſsit dum cernit Chriſtum in cruce morientem, nec habentem vbi caput ſuum ſpinis confoſſum laſſumque reclinet & quieſcat? Secundò filium contemplatur cum mortis dolore ac pœna colluctantem: qui *Cum clamore valido & lacrymis* [illegible] Petræ præ dolore diffringuntur, terra tremit & concutitur, aperiuntur ſepulchra: atque vt dixit Diu. Dionyſ. *Tota mundi machina diſſoluitur.* Vniuerſa mundi moles totuſque concentus diſſoluitur ex mero dolore; animo & ipſi mortales inimici præ triſtitia contabeſcunt, ſuaque tundunt pectora ad ac viſiſsimi mœroris argumentum: *Reuertebantur percutiebant pectora ſua* Denique omnes lamentandi huius & horrendi ſpectaculi ſupplicij tantis agitati ſunt interius anguſtiis, vt ſibi mortem imminere non ambigue iudicarent: *Omnes qui aderant ad ſpectaculum iſtud.*

Nam hoc ſpecificat, quia verba non ſufficiunt, Si igitur tantus in omnibus dolor, quantus in corde Virginis?

II. Tertiò: ſumpſit augmentum triſtitia quãdo conſolantes vidit ſatellites gladiis armatos & fuſtibus vt Saluatori crura diffringerent: *Vt frangerentur eorum crura.* Vt autem ad Ieſum venerunt hoc executuri, mortuum inuenerunt vnde conſilium in horribiliorem illam mutarunt actionem: *Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura ſed vnus militum lancea latus eius aperuit.* Non illi fregerunt crura, ſicut cæteris, quia mortuum inuenerunt: *Sed vnus militum. &c.* Ex vi illius percuſſionis crux in aëre contremuit, & vulnera plagæque corporis Chriſti ampliùs dilatatæ ſunt, ac mœſtiſſimæ matris eius renouati cruciatus. Iam Virgo crucem propius acceſſerat; nam quando filius cruci figebatur, inquiunt Euangeliſtæ ipſa cum notis *Erat à longe*, id eſt parum remotior illis qui illum crucifigebant; prope tamen vt videre poſſet & audire, quidquid illi poterat indicare; ac ita prope acceſſit vt eam Chriſtus alloqui potuerit.

Vah immites miniſtri: Vah corda lapidea: an ergo ita parum pertuliſſe cenſetis corpus viuum, vt nec mortuo velitis ignoſcere? Quis tantus inimicitiæ furor, qui non temperatur, dum cernit ſibi proſtratum ad pedes inimicum? Quomodo ergo veſtra, ô barbari, non ſedatur rabies dum iam Chriſtum cernitis in cruce mortuum, ſed vultis vt etiam mortuo vulnus infligatur adeo inhumanum?

III. O dira Lancea! quam appoſitè de te canit Eccleſia: *Mucrone diro lanceæ.* Plaga crudelis & dira lancea. Sed quis forte eam vocauerit piam: quia claui corpus penetrarunt viuum, vnde & ſuam prodiderunt immanitatem, ſed lanceâ latus aperuit corpori defuncto vnde nec crudelis videtur nominanda; ſed ſingulari myſterio, optimaque ratione hoc expendit Eccleſia. Audi quid dicat; *Quo vulneratus inſuper* vltra prætérita, eiſque acerbiſſima inflicta, nouum hoc inuenere crudelitatis genus; etenim ſupra id ad quod accedere ſolet odium alicuius, aſcendit vlteriùs rabies inimicorum aduerſus Chriſtum, cui iam defuncto noua conati ſunt infligere vulnera, quod feriſſimam illorum arguit immanitatem: per hanc enim oſtenderunt ſe velle in illo exequi, quod in ſpecie feritatis, vt rarum, maiorem cauſare poſſet admirationem, quale eſt à mortuo cadauere nouam expetere vindictam: ô inauditum crudelitatis & ſæuitiæ tormentum! Imo & ipſe Euangeliſta hortatur vt hoc tanquam tale notaremus, dum ait: *Vt viderunt iam mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit.* Si mortuum eum vidiſtis, veſtrique oculi ſint illius teſtes obitus: *Viderunt eum iam mortuum:* vt quid eum lanceâ transfoditis, O diram lanceam! Sed quia illa reſeruata fuit materno cordi transfigendo: hæc ipſa tantò clarius eorum arguit inhumanitatem; vnde & crudelis dicitur: *Mucrone diro lanceæ:* quia triſtiſſimæ Virginis viſcera lancinauit.

Et quam primum ictum excepit lanceæ; *Continuò exiuit ſanguis & aqua:* teſtatur Euangeliſta. Nonnulli dixerunt, hanc non fuiſſe veram aquam, *Sed pituitam vel flegma, vel pituitoſum quemdam humorem.* Et huic dicunt attributum nomen aquæ, quia aqua in eo prædominatur. Attamen ſummus Pontifex Innocentius definiuit fuiſſe veram aquam: & ſemper quotieſcumque ad hoc alludit, de quo modo ſermo eſt, de vera loquitur aqua: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra; Spiritus, aqua, & ſanguis.* Spiritus, quem ad Patrem ſuum miſit, dum exſpiraret, veridicum præbet teſtimonium, quòd Chriſtus Dominus noſter veram habuerit animam rationalem. Sanguis teſtatur corpus Chriſti fuiſſe verè viuum, & animatum, ex quatuor humoribus compoſitum: etenim eorum primarius eſt ſanguis. Et aqua conuincit quòd verè compoſitum fuerit & mixtum ex quatuor elementis. Et alio loco idem confirmat præfatus Euangeliſta: *Hic eſt qui venit, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* Et hæc omnia ita fieri decreuit Deus, Primò: vt aſſereretur vera Chriſti Saluatoris humanitas Secundò: vt pateſceret quòd Chriſti virtus ad emundanda peccata non in ſolo conſiſteret ſanguine, nec in ſola aqua, ſed in vtroque ſanguine & aqua. Quod Diu. Ambroſ. ſublimi declarat intellectu: *Quare aqua? Quare ſanguis? Aqua vt mundaret, ſanguis vt redimeret.* Noſtrarum munditiеs animarum facienda erat per aquam, & remiſſio culpæ per ſanguinis effuſionem: quando namque ex aperto Chriſti latere profluxit ſanguis & aqua, quid aliud innuit

IV. Vera effluxit aqua non pituita,

Cap in quodam de celebrati: Miſſarũ

Ioan. 5. 8.

V. Chriſtũ tria teſtantur.

1. Ioa. 65.

D. Amb. *Lib. 5 de Sacra. Tom. 4.*

quàm portam per quam ad Eccleſiam patet ingreſſus, atque ad corpus Chriſti myſticum, eſſe baptiſmum? Et hic vnus eſt aquæ, ſanguinis alter: ſic habeo ex Tertullia. & Rufino. Omnem hunc accepimus theſaurum in dolore illo quem Virgo lugens nimis ex crudeli mucronis cuſpide Chriſti filij ſui latus aperiente concepit amariſsimum.

Lib. de baptiſmo c. 16. In expoſiti. Symbo-li.

☞ 33 VI Oratio B. Virginis ad milites

Quando vidit adeſſe milites qui crura confringerent, quam humilis ſe in genua proſternit cœlorum Imperatrix coram eis & tota lacrymis offuſa conſtanter deprecatur Per Dominum illum, qui de cœlo nos tuetur, vos obteſtor illum ne amplius affligatis. Ego mater illius ſum, ego peperi, gemens & afflicta ſi filius meus vobis diſplicuit, vos offendit, vobis peperit nauſeam, iam illum occidiſtis, ſuam vobis remiſit clementer mortem, quam ego libentiſsimè remitto: quod ſi vobis nedum ſit ſatisfactum, in me veſtros conuertite gladios, veſtram in me ſedate rabiem, illi parcite ſaltem nunc defuncto, dum hæc interim mæſta perorat, adeſt vnuſè militibus, qui brachium extendit & toto vibrans lanceam conamine in latus eius impegit. quæ pectus illi aperuit ad viſcera vſque penetrauit & cordis intima fibraſque transfodit, O manus crudeliſsimæ! ô teterrimam lanceam, quæ viſcera lancinaſti! O Mater benedicta te ferit hic ictus: iam anima filij tui corpus reliquerat, cuius loco tua ſubintrauerat; hic ſibi nidum conſtruxerat, ſola erat hoc in cubiculo, & viuens in illo corpore magis, quàm in proprio pectore. Quocirca mucro crudelis hic eſt & impius, vt diximus, latus aperit filij, & materna transfodit viſcera. O plagam lateris pretioſam! Inflictam eſſe dixeris magis amore hominũ, quàm diriſsimæ cuſpidis ferro. O porta cæli, feneſtra Paradiſi, locus refugij, turris fortitudinis, iuſtorum ſepultura peregrinorum, ſimplicium nidus columbarum, floridus lectus ſponſæ Salomonis. Deus te conſeruet vulnus lateris digniſsimum: vulneras etenim iuſtorum corda: vulnus quo vulnerantur animæ electorum: coſa cuius nullus explicet pulchritudinem: rubinus pretij non æſtimabilis: ingreſſus ad cor Dei: teſtis amoris eius irrefragabilis, & æternæ vitæ pignus tutiſſimum. O fornax amoris ardentiſsima; domus pacis, theſaurus Eccleſiæ, & vena aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam & fons viuus egrediens de Paradiſo ad irrigandam vniuerſam faciem terræ. In medio Paradiſi aperitur. Erit fons patens domui Dauid: vt omnes pari poſsimus facilitate accedentes eius aquas collectum, atque illas hauſtui, quibus ardentiſsimus concupiſcentiarum noſtrarum calor extinguatur. O ſenum dolorem cordis SS. Virginis, ſed ſuauem, proficuum, & vtilem fidelibus Eccleſiæ filiis: hi ſunt fructus dolorum Virginis ubem-mi, noſtrarum animarum quies & leuamentum.

Non exigua inter Patres oritur difficultas, in quo latere Chriſto apertum fuerit vulnus à lancea? Verum eſt hoc ab Euangeliſta non declarari: ſed hoc exprimunt nonnulli Sancti; in ſiniſtro videlicet latere: hoc etenim eſt latus cordis. Ita ſentit D. Ambroſ. *In latere fuit vulneratus Chriſtus, ex quo Eua formata fuit: quia vnde culpa inde gratia culpa per fœminam, gratia per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* Gratia quâ ſuam Chriſtus rigauit Eccleſiam, de pretioſiſſimis eius emanauit vulneribus, ſed potiſſimum ex vulnere lateris: per hoc datum eſt infirmitati culpæ remedium, quam mulier in mundum introduxit. Gratia igitur ex eodem prodijt latere, de quo egreſſa eſt mulier; quatenus ex illo ipſo ex quo prodiit infirmitas prodiret & remedium. Egreſſa eſt (ita Rufin.) è latere mulier radix culpæ: exinde igitur egrediatur aqua & ſanguis, radix gratiarum. Exiuit mulier, *Fons peccati & mortis inde procedat redemptionis ac vita: Eua autem formata fuit ex coſta lateris ſiniſtri vbi eſt cor amoris ſui.* Vt autem fœmina foret depoſitarium amoris coniugis ſui, id circo ex mente D. Auguſtini D. Thom & Ruperti, formata fuit ex viro coniuge. Ex his ratio colligitur cur plaga lateris fuerit in ſiniſtro: quia plaga ſanta erat, ex qua patentius nobis Chriſtus amorem ſuum teſtaretur. Et hanc oſtendit latus illud quod apertum clarius cor reuelat, & hoc latus eſt ſiniſtrum. Et quantum ſapio, hanc ſententiam magis confirmat ratio literalis Diu. Chryſoſtom. & Diui Cyrill: qui, vulnus hoc, inquiunt inculſum eſt *Ad amicum certificandam mortem* Vt ſi viſus ipſos falleret, manus non falleret, vnde voluit cor lateris transfigi: etenim eò librauit ictum vbi ſe

mort

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

morte poterat habere certitudinem; quod autem dicitur militem hunc fuiſſe cœcum apocryphum eſt: Nec erat Longinus, quamuis cum hoc nomine compellet Diu. Auguſtin. erat Longinus Centurio, qui dicebat: *Verè filius Dei erat iſte.* Qui vt referunt Surius & Lipoman. poſtmodum inſignem Martyrij lauream adeptus eſt. Et quamuis hæc ratio nobis id poſſit perſuadere vulnus fuiſſe in latere ſiniſtro: magnum tamen eſt argumentum ex conſuetudine antiquarum imaginum, quæ vulnus notant in latere dextero; vt enim illa percuſsio fuit ea, quæ Virginis animam transfodit, eo modo fieri debebat quo ictus magis penetraret S. Chriſti corpus; vnde cœpit in ipſo vulnus à latere dextero, & penetrauit lancea vſque ad cor, quo percuſſura tanto fuit crudelior, maioremque intulit ſanctiſſimæ Virgini cruciatum.

§. 14. Renouant B. Virgini dolores *ſacra Paſsionis inſtrumenta, quando dum de cruce deponitur) Ioſeph & Nicodemus hæc illi conſignant.*

Poſt *hæc*: Tam paucis horis tot peracta ſunt in Paſsione morteque Saluatoris, vt nulla illis conſcribendis charta ſufficiat: nec ipſi Angeli, licet omnes in linguas verterentur, illa multis poſſent annis explicare: ſunt ea ſoli Deo cognita *Tu ſcis im proprium meum & miſeriam meam Cum ſero eſſet*. Cum iam miniſtri & carnifices à cruciando illum laſſarentur, quem iam toto corpore luxauerant, & mille partibus aperuerant: *Venit Ioſeph ab Arimathia.* Ad ſolis occaſum acceſſerunt Ioſeph & Nicodemus: Ioſeph vir ſanguine illuſtris in ſæculari ſtatu, ex ciuitate oriundus Arimathia vel Armata, vel iuxta Diuum Hieronymum, Ramathaim ciuitate celebri ex Samuelis Prophetæ Natiuitate. Nobilis Decurio: & officio conſpicuus Senator, vel Conſiliarius, vt habet textus Græcus: & quo interpretatur Diu. Hieronym. illud Pſalmi: *Non abijt in conſilio impiorum*: vitam ſuam aleæ ſupponens conſtanter adiit Pilatum, corpuſque petiit Saluatoris concesſit illi Pilatus, ſed cum prius de morte eius ſtatuiſſet inquiſitionem; cui ſe Nicodemus comitem adiunxit, & adiutorem vt Chriſtum de cruce deponeret: iam enim omnem exuerat timorem. Iam gloria incipit filij: *Erit ſepulchrum eius glorioſum*: danda namque erat illi ſepultura gloriâ ſublimis; quia ſe ad mortem vſque factus obediens humiliauerat: *Factus obediens vſque ad mortem.* — Iſai. 11. 10. — Philip. 2. 8.

Sed amodo glorioſus admodum: idcirco priuſquam tumulo traderetur, decreuit Deus, vt Pilatus iuridicam inſtrueret de eius morte verificationem; vt enim à ſepulchro ſumeret gloria nominis eius initium: oportebat vt omnibus mors eius innoteſceret manifeſta: abiectio enim eius & humiliatio tantum ad mortem vſque erat duratura, quam integra ſequeretur exaltatio, & SS. nominis eius glorificatio: iam crucis gloria incipit rutilare, erecto hodie & ſtabilito regali crucis vexillo & ſtatim dare huic nomina feſtinant milites non pauci ſub eo militaturi: *Leuabit ſignum in nationibus, & congregabit populos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Quam primum erectum eſt crucis vexillum, ſub illo dant nomina milites ex omnibus nationibus: etenim expulſo timore ad fidei prodeunt animoſi confeſsionem: *Erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* Non ad vnum conſtringitur populum, vt vetus teſtamentum ſolis ſeruatum Iudæis, ſed ſignum extollitur omnibus mundi nationibus: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Cum extollitur in aëra, ſtatim ſe produnt milites eius animoſi, qui nullo timore trepidi, Pilatum accedunt audacter & corpus Chriſti ſibi dari poſtulant ſepeliendum. — Iſa. 11, 12.

II. Chriſti corpus à Ioſeph & Nicodemo deponitur.

Veniunt Ioſeph & Nicodemus. Vt vidit illos Virgo venientes, ſuſpicata eſt quòd nouo crudelitatis inuento filium eſſent affecturi: quocirca nouis hæc cogitatio cruciatibus illam afflixit: ceterum illi propius accedentes, & lugubre adeo ſpectaculum intuiti, filium tot doloribus ſaucium, luxato corpore pendulum, matrem triſtitiâ abſorptam, mortis oppreſſam anguſtiis, fortitudine licet admirabili conſtantem, vt multò plura patiatur, & crudeliora ſentiat; talia videre obſtupeſcunt. Contemplor ego quòd feruentes Virginem acceſſerint, illam in hæc verba allocuti, O benedicta inter mulieres, & plus benedicta quàm omnes mulieres, ſed & ceteris magis afflicta, pœniſque contrita.

Deus.